

discurreret. Et tamen non desuerunt, qui per longum  
 tempus uernis aestiuisq; floribus tumulum eius ornarent,  
 ac modò imagines prætextatas in rostris præferrent,  
 ac modò edicta quasi uiuentis, et breui magnò  
 inimicorum malo reuersuri. Quinetiam Vologesus  
 Parthorum rex missis ad Senatum legatis de instauranda  
 societate, hoc etiam magnopere orauit, ut Nerone  
 memoria coleretur. Denique cum post XX. annos  
 adolescente me extitisset conditionis incertæ,  
 qui se Neronem esse iactaret, tam fauorabile nomen  
 eius apud Parthos fuit, ut uehementer adiutus, et uix  
 redditus sit.

## SVETONII TRAN- QVILLI

Sergius Galba.

De progenie Caesarum, quæ in Nerone defecit, et prodigijs hoc præcedentibus.

CAP. I.



Progenies Caesarum in Nerone  
 defecit: quod futurum complu-  
 ribus quidem signis, sed euiden-  
 tissimis duobus apparuit. Livia  
 olim post Augusti statim nup-  
 tias Veientanū suum reuerti-  
 præteruolans aquila gallinā albam rami lauri ro-

Bb 4 fire

stro tenentem, ita ut rapuerat, dimisit in gremium; cumq; nutrirī alitem, pangiq; ramulū placuisset, tanta pullorum soboles prouenit, ut hodie quoq; ea uilla ad Gallinas uocetur: tale uerò lauretū, ut triumphatori Cæsares inde laureas decerperent: fuitq; mos triumphantibus, alias confestim eodē loco pangere: & obseruatum est sub cuiusq; obitum, arborem ab ipso institutam, elanguisse. Ergo nouissimo Neronis anno, & sylua omnis exaruit radicitus, et quicquid ibi galinarum erat, interijt: ac subinde tæta de caelo Cæsarium ede, capita omnibus statuis simul deciderunt: Augustiq; sceptrum è manibus excussum est.

Prosapia & uetus origo Galbæ. CAP. II.

**N**eroni Galba successit, nullo gradu contingēs Cæsarium domū sed haud dubiè nobilissimus, magna; & uctere prosapia, ut qui statuarum titulis pro nepotem se Q. Catuli Capitolini semper ascripserit: imperator uerò etiam stemma in atrio proposuerit, quo paternam originem ad Iouem, maternam ad Pasiphæen Minois uxorem referret.

Progenies & cognomina Galbæ, & unde dicitur Galba. CAP. III.

**I**magines, & elogia uniuersi generis exequi longum est, familiæ breuiter attingam. Qui primus Sulpitorum cognomē Galbæ tulit, cur, aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant quòd oppidum Hispaniæ

Spaniæ frustra diu oppugnatum, illis demum galba-  
 no facibus succederit: alij quòd in diuturna ualetu-  
 dine galbeo, id est, remedijs lana inuolutis assidue us-  
 teretur: nonnulli quòd præpinguis fuerit uisus, quem  
 Galbam Galli uocant: uel contrà, quòd tam exilis, quàm  
 sunt animalia, quæ in æsculis nascuntur, appella-  
 turq; Galbæ. Familiam illustrauit Sergius Galba con-  
 sularis, temporum suorum eloquentissimus, quem tra-  
 dunt Hispaniam ex prætura obtinere, XXX. Lus-  
 itanorum millibus perfidia trucidatis. Viriati bel-  
 li causam extitisse, Eius nepos ob repulsam consula-  
 tus in sensus Iulio Cæsari, cuius legatus in Gallia su-  
 erat, conspirauit cum Cæsio & Bruto, propter quod  
 Pedia lege damnatus est. Ab hoc sunt imperatoris  
 Galbæ auus & pater. Auus clarior studijs, quàm di-  
 gnitate. Non enim egressus præturæ gradum, multi-  
 plicem nec incuriosam historiam edidit. Pater con-  
 sultu functus, quàm breui corpore atq; etiã gibber, mo-  
 dicæq; in dicendo facultatis, causas industrie actita-  
 uit. Vxores habuit Mummiam Achaian neptem Catus-  
 li, proneptemq; L. Mummij, qui Corinthum excidit.  
 Item Liuiam Ocellinam ditem admodum, & pul-  
 chram. A qua tamē nobilitatis causa appetitus ultrò  
 existimatur, & aliquanto enixius, postquam subinde  
 instanti uitii corporis secretò posita ueste detexit,  
 ne quasi ignaram fallere uideretur. Ex Achaia libe-

ros, Caium & Sergium procreauit. Quorum maior Caius attritis facultatibus urbe cecidit, prohibitusq; à Tiberio sortiri anno suo proconsulatum, uoluntaria morte obiit.

Galbano ) Ferulae quae in Syria nascitur est liquor, qui Galbanum uocatur, est non dissimilis dotibus suis thuri.

Ortus Galbae, & praesagia principatus eius.

## CAP. IIII.

**S**ergius Galba imperator, M. Valerio Messala, Cn. Lentulo COSS. natus est IX. Calen. Ianuarij, in uilla colli supposita, prope Tarracinam sinistrorsum Fundos petentibus. Adoptatus à nouerca sua, Liuij nomen, et ocellare cognomen assumpsit, mutato praenomine. Nam † Lucium mox pro Sergio usq; ad tempus imperij usurpauit. Constat Augustum puero adhuc salutanti se inter aequales, apprehensa buccula dixisse, ἢ τὸ τέτροπ τῆς ἀρχῆς ἢ μὲν παρ' ἄλλοις. Sed et Tiberius, cum comperisset eum imperaturum, uerum in senectate: uiuat sanè, ait, quando id ad nos nihil pertinet. Auo quoq; eius fulgur procuranti, cum exta de manibus aquila rapuisset, & in frugiferam quercum contulisset, summum sed seruum imperium portendi familiae, responsum est. Et ille irridens: sanè, inquit, cum mula pepererit. Nihil aequè postea Galbam tentantem res nouas confirmauit, quàm mulae partus, ceterisque ut obscenum ostentum, abhorrentibus, solus proletifia

letissimo accepit, memor sacrificij, dictiq; aui. Sumpta uirili toga, somniauit fortunam dicentem, stare se ante fores defessam, & nisi ocius reciperetur, cuiusq; obuius praeae futuram. Vtq; euigilauit, apertio atrio, simulachrum aeneū deae cubitali maius iuxta lumen inuenit, idq; gremio suo Thusculum, ubi aestiuare consueuerat, auexit, & in parte aedium consecrauit, mensuris deinceps supplicationibus, & peruigilio anniuersario coluit. Quanq; etate nondū constante, ueterē ciuitatis, exoletumq; morē, ac tantū in domo sua herentē obstinatissimē retinuit, ut liberti, seruiq; bis die frequentes adessent, ac manē saluere, uesperu ualere sibi singuli dicerent.

*(q; ob.)* Id est, Et tu fili imperio nostro cresce.

Studium in liberalibus disciplinis, iure, & uxori-  
ribus, ac filijs. CAP. V.

**I**Nter liberales disciplinas attendit iuri: dedit & matrimonio operam. Verū amissa uxore Lepida, duobusq; ex ea filijs, remansit in coelibatu, neq; solitari uia cōditione amplius potuit, ne Agrippinae quidem uiduatae morte Domitij, quae maritum quoq; adhuc nec dum coelibem Galbam, adeo omnibus sollicita uerat modis, ut † inter conuentum matronarum correpta iurgio, atq; etiam manu pulsata sit à matre Lepida. Obseruauit ante omnes Liuiam Augustā: cuius & uiuae gratia plurimū ualuit, et mortuae testamēto penē

Attēdit iuri, pro fluit.  
Coelibat<sup>o</sup> & post dū cōtā uxore<sup>o</sup>

† Al. in cōuentu.

penè ditatus est. H. S. namq; quingenties cùm præcipuum inter legatarios habuisset, quia uerò notata, nã perscripta erat summa, hæredè Tiberio legatum ad quinquaginta reuocante, ne hæc quidem accepit.

Honores per eum gesti, & disciplina in re militari. CAP. VI.

**H**onoribus ante legitimum tempus initis, Prætor commissione ludorum Floralium, nouum spectaculi genus, elephantos funambulos edidit: exinde provincie Aquitanie anno serè præfuit: mox consulatum per sex menses ordinarium gessit. Euenitq; ut in eo ipse L. Domitio patri Neronis, ipsi Syluius Otho pater Othonis succederet, uelut præsagium insequentis casus, quo medius inter utriusq; filios extitit imperator. A Caio Cesare ludis substitutus, post tri die quàm ad legiones uenit, solèni fortè spectaculo plaudentes inhiuit, data tessera, ut manus pennis continerent, statim per castra iactatum est:

Trochæus tetrameter.

Interdixit peti, pro ueruit.

Approbat se illi talè. p præstat.

Disce miles militare, Galba est, nō Getulicus.

Pari seueritate interdixit comneatus peti. Veteranum ac tironem militè opere assiduo corroborauit, matureq; barbaris, qui iam in Galliam usq; prorupserant, coërcitis, præsentis quoq; Caio talem & se et exercitum approbauit, ut inter innumeras, contra et assq; ex omnibus prouincijs copias, neq; testimoniū neq; præmia ampliora ulli perciperent. Ipse maxime insignis,

in signis, quòd campestem decursionem scuto modè  
ratus, etiam ad essedum imperatoris per XX. pas-  
sum millia cucurrit.

Opere assiduo corroborauit. Exercitatione enim  
firmantur omnia in corpore in èbra, sicut ocio dis-  
soluuntur: nec ociofi possunt esse fortes milites, nò  
tantum quod corpora ferre & durare non possunt,  
sed etiam quod animi effeminantur.

Iustitia & equitas eiusdem. CAP. VII.

**C**Aede Caij nunciata multis ad occasionem sti-  
mulantibus, quietem prætulit. Per hoc gratis=  
simus Claudio, receptusq; in cohortem amicorū, tan-  
te dignationis est habitus, ut cum subita ei ualctudo,  
nec adeò grauis incidisset, dilatus sit expeditionis Bri-  
tannicæ dies. A fricā \* pro Consule biennio obtinuit,  
extra sortem electus ad ordinandam prouinciam, et † Ali. pro-  
intestina dissensioe, & Barbarorū tumultu inquietā. <sup>Consul.</sup>  
Ordinauitq; magna seueritatis ac iustitiæ cura, etiã  
in paruulis rebus. Militi, qui per expeditionem anno-  
na arētissima residuum cibariorum tritici modium,  
centum denarijs uendidisse arguebatur, uetuit, simu-  
latq; indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri:  
& is fame extabuit. At in iure dicendo cum de pro-  
prietate iumentum quæreretur, leuibus utrinq; argu-  
mentis & testibus, ideoq; difficili coniectura ueritas  
ita decreuit, ut ad lacum, ubi aduari solebat, du-  
ceretur capite inuoluto, atque ibidem reuelato, eius  
esset,

esset, ad quem sponte se à potu recepisset.

Honores ei collati, & signa futuri imperij eius.

## CAP. VIII.

**O**B res, & tunc in Africa, et olim in Germania gestas, ornamenta triumphalia accepit, & sacerdotium triplex, inter XV. viros, sodalesq; Titios, item Augustales cooptatus. atq; ex eo tēpore prope

Plurimū  
uixit, pro  
plerunq;  
ἐπισημὰ  
50p.

Quām ut,  
pro aliter  
quām ut.

ad Neronis medium principatum in secessu plurimū uixit, ne ad gestandū quidem unquam iter ingressus, q̄ ut secum uehiculo proximo decies HS. in auro es-  
ferret, donec in oppido Fundis morāti Hispania Ta-  
raconensis oblata est. Acciditq; ut cum prouinciam ingressus sacrificaret intra eadem publicam, puero è ministris acerram tenenti, capillus repentē toto capite canesceret. Nec defuerunt qui interpretarētur, significari rerum mutationem, successurumq; iuueni senem, hoc est, ipsum Neroni. Nec multo pōst in Cantabria lacum fulmen decedit, repertaq; sunt duodecim secures, haud ambiguum summi imperij signum.

Varietas eius in prouincia.

## CAP. IX.

**P**ER octo annos uariè & inaequaliter prouinciam rexit. Primo acer & uehemens, & in coërdiis quidem delictis uel immodicus. Nam et nummulario non ex fide uersanti pecunias, manus amputauit, mensaq; eius affixit. Et tutorem, quod pupillum



eui substitutus heres erat, ueneno necasset, cruce affecit. Implorauitq; leges, & ciuem Romanum se testificanti, quasi solatio et honore aliquo poenam leuaturus, mutari, multoq; præter ceteras altiorē & dealbatā statui crucem iussit. Paulatim in desidiā segnitieq; conuersus est, ne quid materiæ præberet Neroni, & ut dicere solebat, quod nemo rationē otij sui reddere cogeretur. Carthagine noua cōuentū agens, tumultuari Gallias comperit. Legato Aquitanie auxilia implorāte, superuenerūt et Vindicis literæ, hortantis, ut humano generi assertorē ducemq; se accōmodaret. Nec diu cūctatus, conditionē partim metu, partim spe recepit. Nā et mādāta Nerōis de nece sua ad procuratores clam missa deprehenderat, & confirmabatur cū secundissimis auspicijs & omnibus, tuam uirginis honeste uaticinatione, tātō magis, quod eadem illa carmina sacerdos Iouis Cluuiæ ex penetrāli somnio monitus eruerat, ante ducentos annos similiter à fatidica puella pronuntiata. Quorū carminum sententia erat, Oriturum quandoq; ex Hispania principem, dominumq; rerum.

Initium principatus, & alia eius gesta.

## CAP. X.

**I**gitur cum quasi manu missiōni uacaturus conscendisset tribunal, propositis ante se damnatorum, occisorumq; à Nerone quāplurimis imaginibus, & astante

Et astanti nobili puero, quem exultantem ex proxi-  
 ma Baleari insula, ob id ipsum acciuerat, deplorauit  
 temporum statum, consulatusq; imperator, legatum  
 se Senatus ac populi Rom. professus est. Deinde in-  
 stitio indicto, è plebe quidè prouinciae legiones, et  
 auxilia conscripsit super exercitum ueterè legionis  
 unius, duarumq; alarum, et cohortium trium. At è  
 primoribus prudentia atq; etate praestantibus, uelut  
 instar Senatus, ad quos de maiore re, quoties opus es-  
 set, referretur, instituit. Delegit et equestris ordinis  
 iuuenes, qui manente anulorum aureorum usu, euo-  
 cati appellarentur, excubiasq; circa cubiculum suum  
 uice militum agerent. Etiam per prouincias edicta  
 dimisit, autor singulis, uniuersisq; conspirandi, simul  
 et ut qua posset quisq; opera, communem causam iu-  
 uarent. Per idem ferè tempus in munitione oppidi,  
 quòd sedem bello delegerat, repertus est anulus ope-  
 re antiquo, sculptura gemmae uictoriae cum trophæo  
 exprimente. Ac subinde Alexandrina nauis† detor-  
 sa appulit armis onusta, sine gubernatore, sine nau-  
 ta, ac uectore ullo, ut nemini dubiū esset, iustū piūq;  
 et fauentibus dijs bellū suscipi. Cum repente ex ino-  
 pinato propè cuncta turbata sunt, alarum altera ca-  
 stris appropinquantem, occidentia mutati sacramen-  
 ti destituere conata est, egreq; retenta in officio: et  
 serui, quos à liberto Neronis ad fraudē preparatos  
 munito

† Al. discur-  
 sis.

numeri acceperat, per angiportum in balnea transeuntem penè interemerunt, nisi cohortantibus inuicè ne occasionem omitterent, interrogatisq; de qua occasione loquerentur, expressa cruciatu cõfessio esset. Consternatio eius propter mortem Vindicis.

## CAP. XI.

**A**ccesit ad tanta discrimina mors Vindicis, qua maxime consternatus, destitutoq; similis, non multum absuit, quin uitæ renunciaret. Sed superuenientibus ab urbe nuncijs, ut occisum Neronem, cunctosq; in uerba sua iurasse cognouit, deposita legati, suscepit Cæsaris appellationem. Iterq; ingressus est paludatus, ac dependente à ceruicibus pugione ante pectus, nec prius usum togæ recuperauit, quàm oppressis, qui nouas res moliebantur, præfecto Prætorij Nymphidio Sabino Romæ, in Germania Fonteio Capitone, in Africa Clodio Macrolegatis.

## Seuitia &amp; auaritia eius. CAP. XII.

**P**ræcesserat de eo fama seuitiæ simul atq; auaritiæ, quòd ciuitates Hispaniarum, Galliarumq; quæ cunet antius sibi accefferant, grauioribus tributis, quasdam etiam murorù destructione punisset, & præpositos, procuratoresq; supplicio capitis affecisset cum coniugibus ac liberis, quodq; oblatam à Tarraconensibus è uetere templo Iouis coronam aureã librarum XV, conflasset, ac tres uncias, quæ ponde-

ri deerant, iussisset exigi. Ea fama & confirmata & aucta est, ut primum urbem introijt. Nam cum claufarios, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret, recusantes, atq; insuper aquilam, & signa pertinacius flagitantes, non modò immisso e quite disiecit, sed decimauit etiam. Item Germanorum cohortè à Cæsaribus olim ad custodiàm corporis institutã, multisq; experimētis fidelissimam, dissoluit, ac sine ullo commodo remisit in patriã, quasi Cn. Dolabellæ, iuxta cuius hortos tendebat, proniorem. Illa quoq; uerè an falsò per ludibrium iactabantur, apposita lautiore cœna, ingemuisse eum. Et ordinario quidem dispensatori breuiarium rationum offerenti, paropsidem leguminis pro sedulitate, ad diligentia porrexisset. Cano autem choraulæ, mirè placenti, denarios quinq; donasse, prolatos manu sua è peculiaribus loculis suis.

Aduentus eius ad urbem. CAP. XIII.

**Q**uare aduentus eius non perinde gratus fuit, idq; proximo spectaculo apparuit: siquidem **Al. Veni** Atellanis notissimum canticum exorsis, † Venit id si-  
**tionc.** mus à ulla, cuncti simul spectatores, consentiente uoce reliquam partem retulerunt, ac sepius uersu repetito egerunt.

Gesta per eum in initio principatus eius.

CAP. XIII.

Maiore

**M**aiore adeò & fauore, et autoritate adeptus est, quàm gessit imperium: quanq̃ multa documenta egregij principis daret, sed nequaquam tā grata erant, quàm inuisa, quæ secus fierent. Regebatur trium arbitrio, quos unà & intra palatium habitantes, nec unquam non adherentes, pædagogos uulgo uocabant. Hi erant T. Iunius legatus eius in Hispania cupiditatis immense: Cornelius Laco ex assessore præfæctus prætorij, arrogantia socordiaq̃ intolerabilis: libertus † Icellus paulò antè anulis aureis, & <sup>† Al. Itellus.</sup>

Martiani cognomine ornatus, ac iam summæ equestris gradus candidatus. His diuerso uitiorum genere grassantibus, adeò se abutendum permisit & tradidit, ut uix sibi ipsi cōstaret: modò acerbior parciorq̃; modò remissior ac negligentior, q̃ conueniret principi electo, atq̃ illius ætatis. Quosdā claros ex utroq̃ ordine uiros suspicione minima, inauditos condemnauit. Ciuitatem Romanam rarò dedit. iura trium liberorum uix uni atq̃ alteri, ac ne his quidem, nisi ad certum præfinitumq̃; tempus. Iudicibus sextam decuriam adijci precantibus, non modò negauit, sed etiā concessum à Claudio beneficium, ne hyeme initioq̃; anni ad iudicandum euocarentur, eripuit.

Gesta & liberalitas eius. CAP. XV.

**E**xistimabatur etiā senatoria, & equestris officia biënij spatio determinaturus, nec daturus nisi terminare.

si inuitis ac recusantibus. Liberalitates Neronis non plus decimis concessis, per quinquaginta equites Roman. ea conditione reuocandas curauit exigendasq; ut & si quid scenici, aut xystici donatum olim uendidiissent, auferretur emptoribus, quando illi absumpto pretio soluere nequirent. At contra, nihil non per comites atq; liberos pretio addici, aut donari gratia passus est, uectigalia, immunitates, poenas innocentium, impunitatem noxiorum. Quinetiam Pop. Ro. deposcente supplicium Haloti et Tigellini, solos ex omnibus Neronis emissarijs, uel maleficientissimos incolu mes præstitit: atq; insuper Halotum procuratione amplissima ornauit. Pro Tigellino etiam scuitiæ populum edicto increpuit.

Inuidia, & rebellio exercitus Germaniæ in eum. CAP. XVI.

**P**ER hæc propè uniuersis ordinibus offensus, uel præcipua flagrauit inuidia apud milites. Nam cum in uerba eius absentis iurantibus, donatiuum grandius solito præpositi pronuntiaissent, neq; rem ratam habuit, et subinde iactauit, se legere militem, nõ emere consuesse. Atq; eo quidem nomine omnes, qui ubiq;

† Al. centum erant, exacerbauit. † Caterum prætorianos etiam metu, & indignitate comouit, remouens subinde ple-

† Al. infu- rosque † ut suspectos & Nymphidij socios. Sed ma-  
spectos, xime fremebat superioris Germaniæ exercitus, frau-

datè

ari se præmijs nauatæ aduersus Gallos et Vindicem  
operæ. Ergo primi obsequium † rumpere ausi, Cal. <sup>rupere se</sup>  
Ianuarij adigi sacramento, nisi in nomen Senatus re- <sup>Calen. Ia-</sup>  
cusarunt: statimq; legationem ad prætorianos cum <sup>nuari ad-</sup>  
mandatis destinauerunt, displicere imperatorem in <sup>dici sacra-</sup>  
Hispania factum, eligerent ipsi, quem cuncti exerci- <sup>mento, n̄</sup>  
tus comprobarent. <sup>si in.</sup> Destinare  
mittere

Adoptatio Pisonis per eum facta. CAP. XVII.

**Q**uod ut nuntiatum est, de spectui esse non tam  
senectam suam, quàm orbitatem ratus, Pisonē  
Frugi Licinianum, nobilem egregiumq; iuuenem, ac  
sibi olim probatissimum, testamentoq; semper in bo-  
na & nomen adscitum, repente è media salutantium  
turba apprehendit: filiumq; appellans, perduxit in  
castra, ac pro concione adoptauit, ne tunc quidem do-  
natiui ulla mētionē facta: quò faciliorem occasionem  
M. Sullio Othoni prebuit perficiendi conata, intra <sup>Conata</sup>  
sextum adoptionis diem. <sup>passiue.</sup>

Præsentia infelicem eius exitum præcedentia.

CAP. XVIII.

**M**agna Græsidua monstra iam inde à princi-  
pio exitum ei, qualis euenit, portenderāt.  
Cum per omne iter dextra sinistraq; oppidatim ui-  
ctimæ cæderentur, taurus securis ictu consternatus,  
rupto uinculo, effedū eius inuasit, elatisq; pedibus to-  
tum cruore persudit, ac descendentem spiculator im-  
pulsit

†al. terræ  
tremor.

pulsu turbæ lancea propè uulnerauit. Urbem quoq;  
& deinde palatium ingressum, excepit † terræ tre-  
more, & a similis quidam mugitui sonus. Secuta sunt  
aliquantò maiora, & tristiora. Monile margaritis  
gemmisq; confertum ad ornandum fortunam suam  
Thusculanam, ex omni gaza secreuerat. Id repentè  
quasi augustiore dignius loco Capitolinæ Veneri de-  
dicauit: ac proxima nocte somniauit speciem fortu-  
næ querentis fraudatam se dono destinato, minantis-  
que crepturam & ipsam quæ dedisset. Cumq; exte-  
rirus luce prima ad expiandum somnium, præmissis  
qui rem diuinam appararent, Thusculum excurrisset,  
nihil inuenit præter tepidam in ara fauillâ, atra-  
tumq; iuxta senem in catino uitreo thus tenentem, et  
in calice fictili merum. Obseruatum etiam est Cal. Ianu-  
arijs, sacrificanti coronam de capite excidisse: au-  
spicanti pullos euolasse: adoptionis die, neque milites  
allocuturo castrensem sellam de more positam pro  
tribunali oblitis ministris, & in Senatu curulem per-  
u. rsc collocatam.

Cædes eius atq; mors. CAP. XIX.

**P**Rius uerò, quàm occideretur, sacrificantem ma-  
nè aruspex identidem monuit, caueret pericu-  
lum, nò longè percussores abesse. Haud multò post co-  
gnoscit teneri castra ab Othone, ac plerisq; ut eòdem  
quam primum pergeret suadetibus, posse enim auto-  
ritate



ritate & presentia praeualere, nihil amplius quam continere se statuit, & legionariorum firmare praesidia, qui multifariam diuersaque tendebant. Loricam tamen induit linteam, quam haud dissimulans parum aduersus tot mucrones profuturam. Sed extractus ru moribus falsis, quos conspirati, ut eum in publicum elicerent, de industria dissipant, paucis temere affirmantibus, transactum negotium, oppressos qui tumultuantur, aduenire frequentes ceteros gratulabundos, & in omne obsequium paratos: his ut occurreret, prodijt tanta fiducia, ut militi cuidam occisum a se Othone gloriant, quo autore responderit, atque in forum usque processit. Ibi equites, quibus mandata caedes erat, cum per publicum dimota paganorum turba equos adegissent, uiso procul eo, parumper restiterunt: dein de rursus incitati, desertum a suis, contrucidarunt.

Gesta per eum in morte, & de eius funere atque  
cauere. CAP. XX.

**S**Vnt qui tradant ad primum tumultum proclamasse se, quod agitis comitones? Ego uester sum, & uos mei: donatiuum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtulisse ultro iugulum, & ut hoc agerent ac ferirent, quando ita uideretur, hortatum. Illud mirum admodum fuerit, neque presentium quenquam opem imperatori ferre conatum, & omnes, qui accerserentur, spreuisse nuntium, excepta Germanicorum uexillatione.

Hi ob recens meritū, quōd se egros & inualidos magnoperē fouisset, in auxilium aduolauēre: sed serius itinere deuio per ignorantiam locorum retardati. Iugulatus est ad lacum Curtij, ac relictus ita uti erat, donec gregarius miles à frumentatione rediens abiecto onere caput ei amputauit. Et quoniā capillo præcaluitio arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inserto per os pollice ad Othonem detulit. Melixis, calonibusq; donauit: qui hasta suffixum, non sine ludibrio circum castra portarunt, acclamantes identidem, Galba cupidē fruaris etate tua. Maxime irritati ad talem iocorum petulātiā, quōd ante paucos dies exierat in uulgus, laudanti cuidam formam suam, ut adhuc floridam & ægetam, respondiſſe eum:

ἔτι μοι μέν & ἔμπεδόν ὄσιν.

Ab his Patrobij Neroniani libertus, centum aureis redemptum, eo loco ubi iussu Galbæ animaduersum in patronum fuerat, abiecit. Serò tandem dispensa-

Ceterū, p̄tor Argius, & hoc & ceterum truncum in priuatis reliquū. eius hortis Aureliæ uia sepulture † dedit.  
† al. tradi dit. ἔτι μοι μέν & c. id est, adhuc mihi robur ualidum est.

Statura corporis & membrorum eius.

CAP. XXI.

† al. præcaluo. **S**Tatura iusta fuit, capite † caluo, oculis cœruleis, adunco naso, manibus, pedibusq; articulari morbo di-

bo distortissimis, ut neq; calceum perpeti, neq; libellos euoluere, aut tenere omnino ualeret. Excreuerat etiam in dexteriore latere eius caro, + præpedebat- que adeo, ut ægrè fascia substringeretur. + Al. pro-  
pendebat.

Cibus, potus eius, atq; luxuria. CAP. XXII.

**C**ibi plurimi traditur, quem tempore hyberno etiam ante lucem capere consueuerat. Inter coenam uerò † usq; ad abundantem, ut congestas super manus reliquias circumferri iuberet, spargiq; ad pedes stantibus. Libidinis in mares pronior, & eos non nisi præduros, exoletosq;. Ferebant in Hispania C. † Icelum è ueteribus concubinis, de Neronis exitu + Alij, Irel-  
lum.  
nunciantem, non modò artissimis osculis palam ex-  
ceptum ab eo, sed ut sine mora uelleretur oratum,  
atq; seductum.

Tempus imperij eius, & ætas. CAP. XXIII.

**P**erijt tertio & septuagesimo ætatis anno, impe-  
rij mense septimo. Senatus ut primum licitum  
fuit, statuam ei decreuerat rostratæ columnæ super-  
stantem in parte fori, qua trucidatus est. Sed decre-  
tum Vespasianus aboleuit, percussores sibi  
ex Hispania in Iudæam submissis  
se opinatus.